

gnicionis nostre testimonium appendi fecimus & apponi, loco & die supra-dictis.

Sigillen: N:o 1 Biskopen Hertig Bengts, skadadt; 2 andeligt; 3, 4, Andeliga skadade; 5, 6 bortfallne.

966.

1288 d. 4 Juli.

Abboten Nils i Alvastra betyg om Birger Jarls förbud att i åen på Fryeleds allmänning ända till Hemmershult bygga qvarn, och att Långfors ström genom köp tillhörde Nydala kloster.

A. 3. x. 1.

Uniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Frater .N. dictus abbas de aluastro salutem in omnium saluatore. Cum constet testimonium ferendum esse ueritati, non obtentu cuiuslibet Humani fauoris. nec spe temporalis mercedis, nos istis sepositis respectum habentes ad solum deum quod recolimus fuisse temporibus nostris cum officium abbatis amministrauimus in monasterio noueallis circa loca molendinorum frøele. uel Hemblesholtø super edificacionibus eorum ibidem in hunc modum uerbis ueridicis protestamur. Cum temporibus felicis memorie domini boyrgeri ducis sueorum molendinum cuiusdam bondonis de gydinshylt illegaliter constructum fregissemus totaliter destruendo. iudicio memorati domini .B. ducis inhibitum fuit ibidem iterato construi. nec ullus locus ibidem est in amne illo usque hembleshylt in quo molendinum alicui liceat edificare. cum illa tota pars aque secundum quod credimus attineat communitati uille de Frøele. que sola de se multas villulas priscis temporibus edificari fecerat sibi ius communitatis in locis talibus retinendo. In torrente uero langafors. qui totaliter attinet monasterio noueallis emptus uidelicet a multis possessoribus. & in parte collatus a bone memorie domino .B. quondam episcopo linco-pense nulli licet molendinum construere. cum hoc iudicio memorati pontificis & aliorum principum regni prohibitum fuerit prout in priuilegiis dicte domus litteraliter continetur. In huius rei testimonium Huic carte sigillum nostrum duximus annexendum. Datum anno dominij. M°.C°C°.LXXX°. VIII°. Quarto nonas iulij.

Sigillet bortfallet; den ur brefvet klipppta remsan qvar.